



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Dispvatio LXXXV. De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

*Baptiſmum
commiſſum
remitti na-
quit ſine Sa-
cramento
Pœnitentiæ,
aut illius
voto.*

XII.
*Sacramento
Pœnitentiæ
ſubſtituitur
contritio,
cuſq; propo-
ſitum ſaltem
conditiona-
tum incli-
dit.*

XIII.
*Votum tri-
dus modis
ſumitur.*

grave lapſus eſt, non poteſt illius remiſſionem obtinere, & gratiam amiſſam recuperare, niſi vel per Pœnitentiæ Sacramentum, aut aliquid aliud quod illius vices ſuppleat, ſitq; votum illius, quod plerumque eſt contritio, unde ſine Sacramento Pœnitentiæ in re vel voto recuperari gratia, & ſalus obtineri non poteſt.

Ad peccati igitur mortalis poſt Baptiſmum commiſſi remiſſionem primò & per ſe inſtitutum eſt Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſupra probatum eſt, quod propterea Sacramentum mortuorum dicitur, eſto autem per Contritionem remitti etiam poſſit hoc peccatum, ſemper tamen ſit in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, cui per ſe loquendo ſubſtituitur contritio, eſtq; proinde votum illius, & propoſitum ſaltem implicitum & conditionatum ejus involvit, non ſolum tanquam rei præceptæ, ſed tanquam alicujus quod per ſe ad gratiam recuperandam, & peccatum illud remittendum ordinatur, eſtq; illius remedium.

Votum ergo tripliciter ſumitur: primò latiffimè & improprie pro deſiderio alicujus rei, etiam non neceſſariæ, quo ſenſu Concilium Tridenti-

num ſeſſione decima-tertiâ, capite octavo de iis loquitur, qui per fidem & votum Sanctiſſimi Sacramenti ſpiritualiter communicant: Secundò ſtrictius pro deſiderio & propoſito ſaltem implicito aut conditionato rei alicujus obligantis, qualia ſunt præcepta: Tertio demum ſtrictiſſimè pro eo quod ſubſtituitur tanquam vicarium alterius ad effectum aliquem conferendum, quem licet conferat, relinquit tamen obligationem per ſe loquendo rem cujus hoc eſt vicarium ſuſcipiendi, hac autem ratione ſe habet contritio reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ: imò & idem ſuo modo dici poteſt de attritione cum aliquo ex Sacramentis vivorum, dum per accidens primam gratiam conferunt. Poſtquam verò quis eſt contritus, pœnitentiæ neceſſitate mediis non eſt neceſſaria amplius illi homini vel in re vel voto, niſi iterum peccet, ſed ſolum requiritur neceſſitate præcepti, & concurrat ad ſalutem ſolum negativè, ſicut obſervatio aliorum præceptorum, nempe ne homo ille iterum peccet ſi ad Pœnitentiæ Sacramentum non accedat, cum adhuc ei hæc incumbat obligatio.

*Attritio in-
terdum eſt
votum Pœ-
nitentiæ.*

DISPUTATIO OCTOGESIMA QUINTA.

De eſſentiâ Sacramenti Pœnitentiæ.

P R I M V M quod in rei cujuſque tractatione inquirendum præſcribitur, nempe an ſit, Diſputatione præcedente circa hoc Sacramentum diſcuſſimus: nunc ergo progrediendum eſt ad ſecundum, & quid ſit Pœnitentiæ, ſeu in quo ejus ſita ſit eſſentia, videndum, & poſtea quale ſit hoc Sacramentum, quas ſcilicet habeat proprietates, ac demum quem in finem inſtitutum ſit, perſpiciemus.

SECTIO PRIMA.

In quo conſiſtat eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.

I.
*Eſſentiam
hujus Sa-
cramenti
ſtatuum
aliqui in ſo-
lâ abſolu-
tione.*



S C O T U S in quarto, diſt. decimâ-quartâ, ait, totam Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam in formâ abſolutionis ſitam eſſe, utpote quæ ſola cauſat gratiam: Scotum ſequuntur Major & Gabriel, qui proinde definiunt hoc Sacramentum eſſe abſolutionem hominis pœnitentis. Durandus ulterius addit confeſſionem, aitq; Pœnitentiæ Sacramentum in confeſſione & abſolutione adequatè conſiſtere, cum hæc duo tantum ſint ſenſibilia. Sed hoc ultimum

non urget; ut enim aliquid conſtituat Sacramentum, etiam intrinſecè, ſufficit quod ſit ſenſibile per aliud, hoc autem modo contritio ſeu dolor eſt ſenſibilis, nempe per confeſſionem.

Soto in quarto diſt. decimâ-quartâ, quæſt. 1. art. primo, ait, abſolutionem non eſſe partem hujus Sacramenti, ſed tantum confeſſionem, contritionem, & ſatiſfactionem, quia ſcilicet hoc Sacramentum ſimpliciter nominatur Sacramentum Pœnitentiæ. Sed contra: nam Concilium Florentinum & Tridentinum dicunt verba Sacerdotis eſſe formam hujus Sacramenti, forma autem ſemper eſt de intrinſeco conceptu rei cujus eſt forma: imò Concilium Tridentinum in particulari, ſeſſione decimâ-quartâ, cap. tertio, ait, vim hujus Sacramenti præcipue ſiram eſſe in formâ. Confirmatur: Sacramentum eſt ſignum ſenſibile

II.
*E contra
Soto abſolu-
tioneſ ait
non eſſe de
eſſentiâ Sa-
cramenti
Pœnitentiæ.*

fensibile causativum gratiæ, sed in Sacramento Pœnitentiæ nihil est quod magis propriè significet, & consequenter caulet remissionem peccatorum & gratiam, ergo.

III. Sacramentum Pœnitentiæ subinde vocatur Sacramentum reconciliationis.

Ad argumentum Soti respondetur, hoc Sacramentum subinde etiam vocari Sacramentum reconciliationis, nomine desumpto à formâ, quæ inter omnes Pœnitentiæ partes magis expressè significat reconciliationem cum Deo. Frequenter autem alia Sacramenta denominationem desumunt à materiâ, ut Baptismus, Extrema-Unctio, &c. licet formam etiam includant: imo aliquando ab effectu, ut Ordo, qui est effectus per Sacramentum collatus.

IV. Quid vis hujus Sacramenti præcipuè sita sit in formâ, non excluditur materia.

Hæc etiam faciunt contra sententiam Scoti; cum enim Concilium dicat præcipuè sitam esse vim hujus Sacramenti in formâ, ergo non adæquatè, sed etiam includit materiam. Deinde non absolutio solum, sed etiam confessio & contritio significant recessum à peccatis, ergo constituunt intrinsicè hoc Sacramentum, cum constituant unum integrum signum gratiæ. Præterea secundum ipsum Scotum verba absolutionis sunt forma hujus Sacramenti, & habetur expressè in Conc. tam Florentino, quam Trid. sed ubicumque est forma, est respectu alicujus materiæ, non alterius hic quàm confessionis & contritionis, ergo.

V. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii.

Et confirmatur: Hoc quippe Sacramentum institutum est per modum judicii, de cujus conceptu est, ut ante sententiam judicis fiat accusatio rei, quod quia supponitur antequam sententiam ferat Judex, est quasi quid informe, siquæ materiam refert, & sicut compositum per adventum formæ perficitur, ita consummatum judicium per sententiam Judicis. Hæc itaque omnia sunt de conceptu judicii completi, & consequenter hujus Sacramenti. Cum verò ulterius hoc judicium sit voluntarium ex parte etiam pœnitentis, & per modum reconciliationis, involvitur in eo retractatio & revocatio offensæ commissæ, & consequenter dolor.

VI. Dicitur: Juxta Concilium Confessio & Contritio sunt solum quasi materia.

Assignantur insuper hi actus à Conciliis pro materiâ Sacramenti Pœnitentiæ. Dices, solum vocantur quasi materia. Contra, si hoc dictum Concilii rigorosè hoc modo sumatur, ergo similiter verba absolutionis solum possunt esse quasi forma, implicat enim alicubi esse actu formam simpliciter & absolutè, ubi non est simpliciter & absolutè materia, cum sint correlativa. Respondetur itaque, quando Concilia dicunt solum esse quasi materiam, non velle planè excludi à ratione materiæ, sed non tam propriè illius speciem præ se ferre, atque præ se fert substantia illa, quæ in aliis ferè Sacramentis adhibetur, in quibus sicut in rebus artificialibus, ut plurimum adhibetur elementum aliquod, vel corpus sensibile, ut aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione, & in iis omnibus Sacramentis, quibus Concilium assignat materiam simpliciter: hoc autem modo contritio & confessio non sunt materia, nec pars hujus Sacramenti. At verò, ut ait Concilium Tridentinum capite tertio citato: *Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq. & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hæc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Hæc sunt verba Concilii, ex quibus apertè constat hos actus esse partes hujus Sacramenti eo modo quo res aliæ sunt partes aliorum Sacramentorum; nec enim alio modo sunt illæ partes, nisi prout ex Dei institutione, ad ea munera assumuntur, cum hæc tamen diffe-

rentiâ, ut diximus, quod ex sint substantia, magisque similes materia.

SECTIO SECUNDA.

Quibusdam solutis declaratur ulterius essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

DICES cum Scoto, hinc sequi pœnitentem simul cum Sacerdote esse ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, nam juxta nos ponit alteram partem illius, nempe materiam, & consequenter sequitur eum partialiter se absolvere, quæ & sunt contra Concilia citata, quæ dicunt solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, & à peccatis absolvere, & etiam contra rationem.

Qui tenent causalitatem physicam Sacramentorum, putant facile se hanc difficultatem solvere, in quâ tamen laborare nos asserunt, qui solum admittimus moralem. Dicunt itaque, cum Sacramenta physicè efficiant gratiam, solus Sacerdos potest illam efficere, cum confessio & dolor absolutionem præcedant, nihil autem physicè operari potest, quando non est. Sed contra primò; sæpè enim attritio durat quando Sacerdos pronunciat formam absolutionis, ergo tunc potest etiam physicè simul cum absolutione concurrere ad gratiam producendam, & concedit Suarez hic dub. 18. sect. 2. n. 15. ergo in eo casu pœnitens cum Sacerdote erit minister hujus Sacramenti. Contra secundò: Nullus qui admittit physicam causalitatem Sacramentorum, negat moralem, ut ostendimus disp. 64. de Sacramentis in genere, sectione tertiâ, conclusio- ne secundâ; hoc enim admittit Suarez, Albertinus, Tannerus, Mæratius, & alii Auctores istius sententiæ, ergo tantum concursus ad gratiam ponunt illi Auctores, quantum alii, qui negant causalitatem physicam, imo non solvant quo modo pœnitens non sit minister hujus Sacramenti, & sibi non conferat, saltem moraliter gratiam, cum nullus neget causam moralem esse verè causam, sicut David verè dicitur interfecisse Uriam, & Judæi Christum, licet David illud præstiterit gladio filiorum Ammon, Judæi manibus gentiliùm: Item passio Christi dicitur à Patribus causare gratiam in animabus, quæ tamen non alio modo eam causat quàm moraliter, ergo par est difficultas in utraq. sententiâ.

Respondetur itaque, licet pœnitens ponat etiam aliquid, quod in suo genere movet Deum moraliter ad infundendum gratiam, & peccatum remittendum, sicut Sacerdos facit in suo, non tamen potest dici vel absolvere se, etiam partialiter, vel peccatum sibi remittere, cum hoc sonet auctoritatem quandam & dignitatem, cum remittere injuriam nemo possit, nisi is contra quem est commissâ, qui vel per se, vel per substitutum suum id præstat, sicut hic præstat Deus per Sacerdotem, quem in his causis constituit Judicem. Verum est quidem Judicem non posse absolvere & facere quod ex suâ parte requiritur, nisi reus faciat quod requiritur ex suâ, nempe accuset se, doleat, &c. hæc tamen non denominant reum absolventem, sed Judicem, sicut nec in humanis Judex absolvere reum potest nisi aliquis eum accuset, aut reus veniam petat, hæc autem accusatio aut veniæ petitio non denominat reum aut accusatorem, vel partialiter absolventem, sed solum Judicem.

Hoc

I. Objic. Siquil ex dictis pœnitentem partialiter absolvere solum.

II. Non melius ab hac difficultate se expediant qui physicam Sacramentorum causalitatem admittunt, quàm qui moralem.

III. Ratio cur pœnitens dici nequed se vel partialiter absolvere.

IV. Hoc clarè constat ex mille exemplis humanis; subditus enim denominat alium superiorem, & tamen non potest subditus vel partialiter dici superior, idem est in priore & posteriore, majore & minore, & aliis hujusmodi denominationibus heterogeneis, in quibus licet denominatio etiam proveniat ab aliâ parte, hæc tamen nec partialiter illam recipit, sed oppositam: sic ergo & reus partialiter concurrat ad hoc iudicium, sed per modum rei non iudicis.

V. Addo: Etsi aliquo etiam modo possit pœnitens dici canfare in se gratiam, non tamen dare propriè loquendo; hoc enim similiter sonat quandam potestatem & dominium supra id quod datur; accedit, nec propriè dici posse pœnitentem conficere hoc Sacramentum, ut notat Suarez disp. 18. sectione tertiâ, num. undecimo: sicut enim in naturalibus, præsertim si sint artificialia, non dicitur illud plerumque conficere compositum quod apponit materiam, sed quod introducit vel unit formam materiæ, nec enim domum fabricare dicitur is, qui lapides & ligna parat, sed qui ea inter se compingit, sic homo generat hominem, quia ultimum quod ad ejus productionem requiritur, & ad cuius positionem confurgit compositum, nempe unionem ponit, quod hic facit Sacerdos ponendo formam, quæ est ultimum in omni iudicio, & consequenter in hoc Sacramento. Dicitur quidem etiam Deus cum homine producere hominem, quia simul cum eo producit unionem, si tamen hanc non produceret, licet & materiam produceret & animam, non produceret hominem: ita etiam suo modo in præsentis, licet, ut notant omnes, in his vel etiam cuiusvisque generis exemplis non sit exacta quærenda similitudo.

VI. Urgebis: Ergo & peccata erunt pars hujus Sacramenti, patet, confessio est pars, sed confessio essentialiter involvit peccata, ergo. Respondetur, peccata esse materiam remotam seu removendam per Sacramentum Pœnitentiæ, non tamen esse partem illius constitutivam: si autem sermo sit de peccatis præteritis, ut præteritis, necessariò dici debet spectare intrinsicè in obliquo & de connotato ad conceptum hujus Sacramenti, cum partes illius sint dolor & confessio peccati post Baptismum commissi: peccata tamen actu existentia non possunt ullo modo intrinsicè spectare ad hoc Sacramentum, cum ubi posita est forma, peccata destruantur, & licet maneat ubi Sacramentum est validum & informe, non tamen hoc requirit Sacramentum, quod nimirum æquè completum esset, quamvis peccata desinerent, imò licet destructa fuissent ante vel absolutionem, vel confessionem.

VII. Instabis: Ergo peccata præterita movent Deum moraliter, saltem partialiter ad dandam gratiam; confessio enim movet, sed confessio intrinsicè dicit peccatum præteritum, ergo. hoc argumentum, quod magni fit ab aliquibus manifestam involvit æquivocationem, quæ ut clarior cernatur, conficio simile argumentum, placet Petro occiso inimici, ergo placet inimicus: Item placet Deo confessio peccati, imò meretur præmium & gratiam, ergo placet, & meretur præmium & gratiam ipsum peccatum, quæ consequentiæ quàm absonæ sint, vel cæcus videt: distinguo itaque sequelam, peccata præterita secundum se considerata movent partialiter Deum, nego, ut dicta in confessione, & ut super ipsa profertur absolutio, concedo: hoc au-

tem nihil aliud est, quàm confessionem & absolutionem placere Deo, sicut placet dissimilitudo iusti à peccatore, vel virtutis à peccato, quæ tamen intrinsicè involvit peccatum; & eodem quis argumento probaret displicere Deo regulam rectæ rationis, cum actus malus quæ malus, eam involvat dictantem contrarium illi quod operatur.

Satisfactio autem, quæ numeratur à Concilio inter partes materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, non est pars essentialis, sed integralis, primò enim frequenter administratur Sacramentum Pœnitentiæ, cum nulla injungitur satisfactio, quoties nimirum quis post confessionem factam, rationis usum amittit, antequam adveniat Sacerdos, vel Sacramentum administret, vel etiam si post injunctam Pœnitentiam obliviscatur illius pœnitens, aut aliunde implere eam non possit: nec est quin posita contritione, confessione, & absolutione detur gratia, & peccatum remittatur ante perfectam vel etiam injunctam Pœnitentiam, ergo satisfactio non est pars essentialis Sacramenti, sed tantum integralis.

Quod verò sit pars integralis probatur ex Concilio citatis assignantibus satisfactionem pro materiâ & parte hujus Sacramenti, sed non est pars essentialis, ut ostensum est, ergo integralis. Nec obstat satisfactio sublequi formam hujus Sacramenti, cum tamen materiæ formam solet præcedere; hoc inquam non obstat: primò enim in aliis Sacramentis forma subinde potest præcedere materiam, ut de Baptismo & aliis diximus ex communi sententiâ in tractatu de Sacramentis in genere, modò moralis fervetur inter formam & materiam contiguitas: deinde in iudiciis humanis satisfactio semper subsequitur sententiæ: tandem in rebus naturalibus videmus homini & aliis animantibus accrescere frequenter partes integrales, ut capillos, dentes, &c. post formam animalis inductam in materiam.

Notandum ex Sancto Thoma quæstione octogesima quartâ, articulo primo, ad tertium, quem sequuntur Theologi, posse etiam in hoc Sacramento distingui *Sacramentum tantum, rem tantum, & rem simul ac Sacramentum*, quæ divisio desumpta est ex Innocentio III. capite *Majores de Baptismo*, & passim à Theologis usurpata. Notandum itaque *Sacramentum tantum* hic, esse confessionem & absolutionem, quæ significant & non significantur, (signum hic non sumitur necessariò pro signo practico, cum & species in Eucharistiâ sint Sacramentum tantum respectu corporis Christi, quod non causant) *res tantum*, est gratia & peccati remissio, quæ significantur, & non significant: *res simul & Sacramentum*, contritio, seu dolor de peccatis, quæ contritio & gratiam significat, & per confessionem & absolutionem significatur, seu redditur sensibilis. videatur Suarez disputatione decimâ octavâ, sectione 5. ubi varias & abstrusas quorundam Thomistarum de hac re explicationes offert & impugnat: Vasquez quæst. 84. art. 1. dub. 3. & alii, qui ulterius advertunt quando aliquid dicitur Sacramentum tantum non requiri ut sit totum Sacramentum, sed sufficit quod sit pars illius, ut ostendi potest in exemplo specierum respectu corporis Christi, quæ non sunt totum Sacramentum Eucharistiæ, ut contra Sotum cum communi sententiâ probavimus disputatione septuagesimâ primâ de Eucharistiâ, sect. 2. sed Sacramentum Eucharistiæ includit ulterius corpus & sanguinem Christi.

VIII. Satisfactio non est pars essentialis, sed tantum integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

IX. Ostenditur satisfactio nem esse partem integram hujus Sacramenti.

X. In Sacramento Pœnitentiæ est Sacramentum tantum, res tantum, & res simul ac Sacramentum.